

CAPVT LIX.

De Lucris & damnis.

ET in mercatura accidunt differentia secundum additionem ex vna parte, & diminutionem ex alia, & hoc vt plurimum quinque modis primus est cum emitur res a pondus mensuram aut numerum, deinde detrahatur aliquid ex dono, vel consuetudine, vel varietate ponderum, aut additur, & querimus in hoc lucrum, aut damnum, aut modum emptionis, & reliqua.

Secundus est cum posita tali, variatione volumus scire modum emendi aut vendendi ad terminatum lucrum.

Tertius est cum fit traductio mercaturae de loco ad locum cum vectigalibus, & expensis æquorum, & maxime etiam cum permutatione monetarum.

Quartus est cum fiunt additiones aut deductiones, vt pote per inuentionem burse per additionem diminutionemve inter loquentes per itinera.

Quintus est cum emimus res ad tempus vendendas, in quo tempore fiunt minores in quantitate & pondere, & similibus: vt vinum, frumentum, & volumus scire lucrum ad tempus computato merito capitalis.

Circa quae notanda sunt duo, primum quod ea quae emuntur sunt in triplici differentia aut enim emuntur numero, vt coria, pelles, aut pondere vt aromata & metalla, aut mensura vt frumenta & grana reliqua, potest addi quartum genus aestimatione, vt gemmae, verum quia de hoc non potest certa ratio reddi arithmetica ideo tres primi modi tantum, cadunt in considerationem.

Secundum est quod res quae venduntur 5. modis deteriore conditione fiunt, aut enim decrescunt ob rem inutilem additam veluti propter cortices lapillos puluerem & haec dicitur tara, aut ob rem non aequè vtilem & minoris pretij, vt cum res vetusta admiscetur nouae, & cum gariofili grossi admiscetur subtilibus, aut tertio propter donum veluti cum venditur pannus pro quibuslibet 7. brachiis, dant $\frac{1}{4}$, & cum venduntur aromata & alia dant aliquid doni, vt ex consuetudine alliciant mercatores appellant & tale quid consuetum, & est idem, quarto cum in venditione & emptione soluitur vectigal. quinto cum accedunt expensae aliae conductionis & talium & nota duas diuersitates circa hoc.

Primam quantum vel res accipitur est meliore conditione veluti cum donum accedit emptori, vt pote emo lanam & ipsi dant pro quibuslibet 100. libris doni 3. libras vnde donum quandoque bonum, tara semper mala est quia nulli conducit. Secunda diuersitas est quod vel agrauationes sunt super rem iam detracta tara aut dono, aut super rem à qua nondum detracta sunt talia.

His visis cum tara computanda est ad 100. vel ad 1000. duc eam in summam

& à producto aufer duas litteras à dextra, si est tara pro 100. aut tres si sit pro 1000. & residuum est tara quam auferes à capitali, ita tamen quod si litterae duae ablatæ excefferint 50. aut tres excefferint 500, ponendae sunt pro libra vna, si autem minores fuerint pro nihilo ponuntur.

Exemplum 100. lanæ valet scutos 7. & habet tarae libras 5. pro 100. queritur quan-

Exemplum primum tarae.

3897
5
194 85
195
3702 7
259 $\frac{14}{100}$

tum valebunt librae 3897. fac vt in figura duc primo 3897. in taram fiunt 19485. & quia tara est pro 100. abscinde duas litteras à dextra remanent 194. & quia 85. est plus 50. ponam libram 1. fiet igitur tara librae 195. quam aufero ex 3897. fiunt 3702. quas duco in pretium quod est aureorum 7. fiunt 25914 & quia pretium est pro 100. aufero duas litteras remanent 259 $\frac{14}{100}$ scuti, quare &c. quod si adessent in pretio librae, & solidi, fac eodem modo deinde reduces solidos ad libras, & libras ad aureos.

Si vero non sit tara sed donum tunc adde donum ad 100, & duc summam totius in pretium & diuide per 100. addito dono, exemplum æs 5. valet aureos 52. pro 1000. & adduntur doni lib. 25. pro milliari, queritur pretium librarum 26800. fac vt in figura duc aureos 52. in summam æris fiunt

Exemplum secundum doni.

26800
52
1393600
1025
1359 $\frac{25}{47}$

1393600. & quia pretium est pro milliari adde ad 1000. donum quod est 25. diuide 1393600. per 1025. exit pretium aurei 1359. & $\frac{25}{47}$, quod si velles reducere $\frac{25}{47}$ aurei in libras & solidos duc 25. numeratorem in valorem aurei qui sit solidorum gratia exempli 112. fiunt 2800. diuide per 41. exeunt 68. & sunt librae 3. solidi 8. & quia supersunt solidi vnus $\frac{12}{4}$ duc eodem modo 12. in nummos solidi, qui sunt 12. fiunt 144. diuide per 41. exeunt nummi 3 $\frac{1}{2}$ fere, ex hoc patet quod donum & tara non eodem modo pensantur, nam prima ratio de lana si facta fuisset per viam doni peruenisset aureorum summa 259 $\frac{4}{5}$, causa differentiae est quod donum est ultra 100, & tara intra 100, exemplum si quis debeat dare 100. libras zinziberis, & cum 5. lib. doni, tunc dat libras 105. sed si det cum tara dat tantum 100. & in illis 100. includuntur librae 5. inutiles, quod igitur dat donum dat 105. pro